



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 150. An Solo verbo aut facto dissentiens, interiùs verò verum retinens, sit hæreticus punibilis ab Ecclesia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

speciali revelationi divinæ seu Deo dicenti, æqualiter Deum mendacem facit, ac qui discredet revelationi illius publicæ, his non obstantibus, quod Ecclesia non proponat talem veritatem credendam, eum proponat credendum summæ veritati revelanti.

2. Resp. Secundò ob solum dissensum specialis revelationis nequit quis puniri pœnis Ecclesiasticis. Non enim potest quis puniri ob delictum, quod nulli cognitum, nec alteri manifestari potest, quam ab illo, qui admisit illud, talis autem est dissensus ille præsticus revelationi speciali omni alteri incognita, ita Azor, l.c. Castrop. n. 15. Suar. l.c. n. 12. secus est, si dictus dissensus prodeat in actum externam, tunc enim illum dissentientem incurrere excommunicationem, aliisque hæreticorum pœnas, tenent Sanch, Lc. & Coninck. n. 20.

Quest. 150. An solo verbo aut facto dissentiens, interiori verò verum retinens, sit hæreticus punibilis ab Ecclesia?

Resp. Talem non esse hæreticum, nec pœnas incurrere; siquidem hæresis necessariò consistit in voluntario dissensu, sicut fides in assensu voluntario præbito articulo fidei, ideòque cum pœnæ extendendæ non sint ad delicta alia, quàm quibus impositæ, non potest talis extrinseca negatio puniri pœnis impositis hæreticis. Sanch. l.c. n. 8. relatis aliis. Suar. de fide d. 14. f. ult. n. 3. Less. l.c. 2. c. 43. da. 2. n. 11. Castrop. l.c. n. 16. qui tamen addit, n. 17. tali alleganti se id dixisse sine dissensu intrinseco non credi pro foro externo, cum contra illum fieri præsumptio, quâ quisque præsumitur loqui & facere, quod sentit, & ne aliàs quilibet hæreticus facile præterdere posset, hanc excusationem, se in animo sic non sensitisse, & sic effugere pœnas.

Quest. 151. Num hæreticus sit tenens verum, dum putat illud esse contra fidem?

Resp. Affirmare hoc ipsum apud Barbof, in c. 3. h. i. n. 4. Henriq. in sum. l. 13. c. 17. n. 3. Sayr. de censur. l. 3. c. 4. n. 14. Petr. de Ledem. in sum. Tom. 2. tr. 1. c. 6. Sanch. in præcep. decal. c. 7. n. 30. Farin. l.c. q. 179. sub n. 3. Ricciul. de person. extra grem. Eccl. existent. l. 5. c. 5. n. 1. è contra sentire videtur Castrop. l.c. n. 15. ubi quod in casu, quo quis negaret propositionem, quam putat ab Ecclesia definitam, quæ tamen ab ea damnata non est, committat hæresim, pro quo citat eosdem Authores Sanch. & Farin. ll. cit.

Quest. 152. Quotuplex sit hæresis?

1. Resp. Dividitur primò in materialem & formalem, formalis hæresis est, quæ jam à nobis definita & declarata est, materialis (quæ tamen propriè hæresis non est) dicitur illa, dum quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut ex defectu debitæ informationis, vel expositivè sinistra informatione errat circa fidem, quales plures sunt in vulgo hæreticorum, præsertim Catholicis intermixti degentes, cum verè & sufficienter instructi simpliciter credunt ea, quæ à parentibus vel prædicantibus tanquam articulos fidei proposita audiunt; hi enim errorem voluntarium cum pertinacia non habent, quin & hæretici formales non sunt, qui etsi sciant fidem seu religionem suam in multis adversari Ecclesiæ Romano-Catholicæ, ex simplicitate tamen aut defectu sufficientis informa-

R. P. Leur. Jur. can. Lib. V.

tionis ignorant aut non credunt, eam esse veram Ecclesiam, ita Reiffenst. h. i. n. 12. & 13.

2. Secundò hæresis formalis subdividitur in internam seu mentalem, qualis est, quæ in corde seu mente tenetur, & neque verbis neque facto externè manifestatur, & externam, quæ verbo vel facto aliquo externo sufficienter exprimitur. Externa iterum subdividitur in publicam, qualis est, quæ palam & coram pluribus externè manifestatur: Et in occultam, quæ verbis vel facto signove externo aliquo proditur uno alterove solùm, vel etiam nemine præsentem, ut dum aliquis solus secum loquens hæresim mente conceptam ore proferret; dicendo V. G. non credo Deum esse unum & trinum. Ut autem quis sit & censetur hæreticus externus, requiritur, ut verba & facta hæresim internam sufficienter exprimant, sive illam expressionem habeat ex se solo, sive simul ex adjunctis circumstantiis desumptis ex qualitate personæ, aut aliunde, cum hæresis externa cognoscibilis & punibilis constitui nequeat, nisi signis illam sufficienter & integrè declarantibus. Ita Azor, p. 1. L. 8. c. 10. q. 4. & seq. Sanch. l. 2. c. 7. a. n. 6. Suar. de fide. d. 21. f. 2. n. 8. Castrop. l.c. p. 3. n. 2. qualia quia non verba aut facta indifferentia, ex quibus præcisè interna colligi nequeat, ea proferens, non constituit hæreticus externus, ita cum AA. citatis Castrop. n. 3. ubi etiam, quid sentiendum de verbis ambiguis & æquivocis, de cætero hæresim externam occultam sufficere ad incurrendas pœnas docent Sanch. in Decal. l.c. 2. c. 8. a. n. 2. Farin. de hæres. q. 192. §. 1. n. 6. Suar. l.c. n. 6. Barb. de potest. Episcop. p. 2. alleg. 40. n. 9. & 10. Castrop. l.c. n. 1. & alii ab eo citati ex ea ratione; quòd cum actus ille prolutionis externæ occultæ per se sit cognoscibilis ab Ecclesia & solùm per accidens ex defectu testium non cognoscatur, subiciatur Jurisdictioni Ecclesiæ.

3. Tertiò est & alia adhuc divisio hæretici, de qua Castrop. l.c. n. 5. in affirmativum, qui hæresim internam conceptam verbo vel opere manifestat; & negativum, qui de hæresi legitime convictus, eam negat, ut autem quis ut talis condemnetur & Curia sæculari puniendus tradatur, requiruntur duo; primò, ut verbis vel factis claris & patentibus hæresim manifestarit, dein ut per testes convincatur, talem manifestationem ab eo factam; dum enim his duobus stantibus quis negat hæresim, convincitur nolle relinquere eam, sed impœnitens existere; negat enim eam, ne abjurare cogatur, pro quo posteriore citat Albertin. tr. de agnoscend. assert. Cathol. q. 34. n. 51. Farin. l.c. q. 178. §. 1. n. 22. Roias. p. 1. n. 84. & seq. de quo vide pluribus Castrop.

4. Denique hæresis dividi potest in varias ac plurimas sectas, prout nimirum plures sunt errores circa fidem, quos quædam communitates certum sequentes authorem seu hæresiarcham tenent; horum hæreticorum ingentem catalogum texit Reiffenst. h. i. n. 18.

Quest. 153. An & qualiter prohibitum vel licitum communicare cum hæreticis?

1. Resp. Primò communicare cum hæreticis in rebus Sacris & divinis jure divino ac naturali veritum, si ex tali communicatione oriatur apud Catholicos Scandalum & offensio, vel suspicio, quòd Catholici hæreticorum ritus, mores & dogmata, verbo, signo, vel facto profiteantur. Item si ex communicatione in his rebus imminet periculum

K

riculum